ÜBERSETZUNG


EINIGER STÜCKE AUS DER

PALAESTRA CICERONIANA.

VON

Dr. MORITZ SEYFFERT.

LEIPZIG,
VERLAG VON OTTO HOLTZE.
1859.



ÜBERSETZUNG

EINIGER STÜCKE AUS DER

PALAESTRA CICERONIANA.

VON

Dr. MORITZ SEYFFERT.

LEIPZIG,
VERLAG VON OTTO HOLTZE.
1859.

Lipsiae, typis C. E. Elberti.

Mater. V.

De habitu Latinarum litterarum oratorio.

Cap. I. Romanorum litterae cum litteris Graecis tam saepe tantoque suarum laudum incommodo sunt comparatae, ut facile quis illarum potius patrocinium suscipere, quam quae multi in iis vituperanda esse dixerunt, aliis cumulare atque adaugere animum induxerit. Et vero putandum est Graecis, quaecunque ad artium litterarumque studia pertinent, percommode cecidisse multoque commodius quam Romanis ceteris rebus tanto illis superioribus. Nam illi cum in Homero suo quodammodo perfecti iam absolutique exsistere videantur, hi quibus impediti tenentur linguae vinculis liberare sese atque evolare altius magno opere student; illi cum omne deinceps orationis genus et vinctae et solutae inveniant, inventum perpoliant, hi unum modo neque id ita poeticum reperiunt, satiram; illi cum memoriam litterarum seculorum spatiis definiant, hi brevi earum ac fugaci flore utuntur; illi denique cum suo ingenio impulsi artium curriculum ingrediantur et quacunque incedunt novas vias aperiant, hi paene religiose eorum vestigia prementes totos se ad imitandas illas tanquam perfectae pulchritudinis species componunt atque accommodant: quam in rem quem fugit illud Horatii:

Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna?

Sed tamen, nisi me omnia fallunt, haec tam invidiose in Romanos coniecta repelli etiam ac dilui possunt. Ac primum quod vel nascentium Graecarum litterarum tanquam Minervae

ex Iovis capite magnifica species ac praeclara prodiit, apparet id magis temporum contigisse beneficio, quo inculta artium primordia abolerentur, quam propria quadam ipsorum virtute effectum esse, ut hanc laudem cum grata potius praedicatione commemorari quam invideri illis fas sit. Quod eaedem deinde nobilissima quaeque orationis genera formasque complexae sunt, reputandum nobis est, ea cum ipsa ratione soluti vinctique sermonis contineri, tum ita in humani ingenii vi infixa esse, ut a quovis populo in humanitatis studia incumbenti et inveniri possint et in lucem proferri. Quod porro admirandum est tam diu Graecos in scribendi studiis versatos esse, ne illud quidem praetermitti debet, quanta optimorum scriptorum vis septuaginta vel octoginta annis se extulerit Romae. Denique si verum est, quod nemo dubitat, Graecorum disciplinam Romanos facile esse libenterque secutos, tamen non magis hi illorum praeceptis, quam quotquot nunc ad scribendum se dederunt Europae populi, adstricti addictique fuisse existimandi sunt.

Cap. II. Sed est utriusque nationis discrimen aliquod, quod cum multum valeat ad artes litterasque eorum recte aestimandas, tum dignum sane est, ad quod praecipue animus advertatur. Ac Graecae quidem litterae paucis exceptis inde ab Homero suo usque ad Theocritum bucolicum id maxime consectantur, quod est in rerum natura, Latinae, quod vim aliquam habeat animosque moveat. In illis ingenuitas, natura, veritas, in his ratio, industria, artificium valet; illae cum nihil magnopere appetant aut vehementius moliantur, utique afficiunt animos, hae dum conspici se volunt, id quod petunt minus consequuntur; illae vel senescentes innatam sibi tuentur venustatem, hae lautiore ornatu allicere ad sese frustra conantur. Atque id quod dixi tantum abest ut in alterum modo litterarum genus, in poesim, cadat, ut in solutam orationem vel aptissime quadret. In historia apud Graecos unus sincero ac simplici narrandi genere, alter gravitate dicendi ac moderatione, tertius nativo quodam, non adscito lepore insignis est; tres Romanorum principes, si quid est quo excellant, certe non excellunt orationis siccitate. In quibus quas admiramur virtutes, verborum vetustatem, orationis magnificentiam, sen-

tentiarum cum distincte concisa brevitate crebritatem, eas omnes apparet et ratione adsumptas et certo consilio adhibitas esse. In Graecia porro Philippi Macedonis temporibus, cum se iam inclinare coepisset eloquentia, in foro et in contionibus regnabat Demosthenes simplex ille et inornatus, sed acer et omni modo permovens animos; Romae, cum res eius maxime florerent, princeps et erat et habebatur Cicero: quem ipsum qui maximopere admiratur Quintilianus ut natura Demosthenem, sic illum industria valuisse affirmat. Quid? quod primis post Christum natum seculis apud Graecos exstiterunt, qui vel res narrarent dicendi genere si minus faceto, at incorrupto tamen et sincero, vel orationes scriberent ornatas magis floribus quam oneratas, ut Plutarchus, Dio Cassius, Herodianus, Longinus, Libanius; contra in Curtio, Velleio, Floro, Seneca, panegyricis si quid luminis atque ornamenti ex meliorum temporum memoria remansit, in dies magis obscuratum evanescit, ut paene nullum iam sit, quo hi cum veteribus contineantur, vinculum.

Cap. III. Iam hoc, quod modo dixi proprium fuisse Latinarum litterarum, si ad earum vel extrema secula vel occasum ipsum referendum esset, per se quod admiraremur non haberet. Cum enim admodum pervulgatum sit illud usuque plurimarum gentium pridem comprobatum, si quis vehementius vel flores consequatur vel nervos, eum denique in putidum quoddam delabi ac molestum artificium, quo omnis vis ac lepos tollatur atque evertatur; tum hanc causam apud Romanos et exstitisse et ad litteras eorum praesertim posterioris aetatis vim habuisse, nemo facile est qui neget aut parum intelligat. Enimvero in his vehementioris ornatus delectationisque studium eo ipso tempore apparet, quo ad perfectionem propius adductae aliqua gravitate esse incipiunt, ut quae argentea earum aetas et aenea appellantur, crevisse illud studium ad maiorem in dies vanitatem ipsis nominibus declarent. Quod cum ita sit, non alienum videtur de oratorio harum litterarum artificio, cum in singulis iam animadversum sit et explanatum, nunc universe disputare quibusque id causis natum adiutumque sit historiae fide et auctoritate investigare. Atque in eiusmodi quaestione, qualis haec est, primum solet occurrere lingua. Et Latinam

quidem cum verborum copia tum naturali venustate atque omnium ut ita dicam colorum facultate cedere Graecae, neque ipsi Romani, qui quidem integro iudicio essent, unquam negarunt et quod obloqui sibi visus est patriae amore occoecatus Cicero, huius dialogorum forma cum Platone comparata gravissime refutatum est. Sed quamvis sint laudes nonnullae, quibus careat lingua Latina, tamen alia quadam virtute multum haec excellit. Quam enim maiestatem populus Romanus prae ceteris populis sibi maxime idque suo iure attribuit, eandem habet eius sermo, cuius magnificentiam quandam et granditatem non possis non agnoscere. Ac licet, quod facile concedi potest, vel in lascivo genere Catullus, in molli ac tenero Tibullus, in faceto Plautus et Terentius non infeliciter versati sint, vel Caesaris Commentarii et Nepotis Vitae puro quasi quodam et aequabili genere dicendi satis commendentur, tamen vel Virgilii in heroo carmine maiestate vel Horatii in lyrico genere spiritu vel Livii in historia gravitate propria Latini sermonis nota ac quasi naturalis forma semper aestimabitur. In quibus virtutibus si quid praeclari est, ut est sane, eaedem tamen multiplicem dabant errorum vitiorumque materiam. Qui enim nervos gravitatemque consectabantur, praesertim iudicio minus firmo praediti, ad insolentiam, qui audaciam, ad temeritatem, qui dignitatem, ad fucatum splendorem facile et poterant abduci et abducti sunt. Itaque non solum poetae, qui Virgilii Horatiique aetati successerunt, ab modicis illorum dicendi ornamentis ad lumina vehementer illustria se transtulerunt, sed in rerum etiam scriptoribus philosophisque, partim ipso Tiberio et Nerone imperantibus, vel Liviana gravitas ac tenor in fluctuans quoddam inter poesim et orationem genus convertit vel Ciceronianae dictionis lene et aequabile flumen ad elaboratam concinnitatem acuteque dictorum argutias traductum est. Ita sermo quidvis aliunde illatum non modo non respuit, sed facile admisit et in quam partem a recta ratione avocabatur, sua sponte deflexit.

Cap. IV. Cumque multum valuerit ad Romanorum litteras earumque incrementa ipse sermo, tum multo plus, immo tantum valuisse existimanda est eloquentia, ut nisi qua ratione

eae inter se contineantur penitus perspexerimus, haec quae proposita est quaestio profligari omnino non possit. Atque illud quo magis apparet atque ante oculos positum est, eo facilius poterit demonstrari. ‚Apud Graecos', inquit Cicero, ‚omnes artes vetustiores sunt et multo ante non solum inventae, sed etiam perfectae quam eloquentia. Ante Periclem enim, cuius scripta quaedam feruntur, et Thucydidem, qui non nascentibus Athenis, sed iam adultis fuerunt, littera nulla est, quae quidem ornatum aliquem habeat et oratoris esse videatur.' Quod contra accidere videmus apud Romanos, ut eloquentia ad poesim certe et historiam mature perficiatur. Ut enim omittam, grammaticam ibi et rhetoricam finito iam primo bello Punico tradi coeptas deinceps in urbe aliisque civitatibus et docentibus et discentibus perpetuo floruisse, quo factum etiam, ut quarto seculo in eas disciplinas relatae sint, quae in duabus tum imperii Romani litterarum sedibus publice docebantur; sed illud etiam compertum habemus et a Cicerone Catonem eum, qui anno 559 U. c. consul fuit, oratorem non illum quidem artis disciplina instructum, sed tamen talem qui hominum animos in se convertat cognituque dignus sit appellari, et non publica modo civium inter se, sed litteratorum quoque commercia inter Italiam et Graeciae Asiaeque minoris rhetores ac philosophos magis magisque celebrata esse. Eloquentia autem postquam ad certas leges revocari et arte quadam exerceri coepta est, quanta deinde et copia et gloria floruerit, non modo Cicero testatur, sed omnis Romanorum memoria comprobat. Quot et quam non contemnendi oratores inde a Catonis temporibus usque ad liberae reipublicae interitum! quantus concursus hominum forique strepitus! An vero aliam ducem cives ad opes et dignitatem habebant, nisi hanc ipsam dicendi vim et facultatem? Ac dici profecto licet, totidem ab oratoribus in foro nec minus honestos triumphos quam ab imperatoribus actos esse neque minorem hos gloriam domi, quam illos foris sibi peperisse. Tam igitur opportuna cum esset reipublicae condicio cumque ipsi Romani in rebus gerendis acres et industrii reique communi dediti essent, quid mirum, si brevi eloquentia omnium litterarum regina facta quidquid

vel discebant vel legebant vel commentabantur, huius id unius causa fecerunt, aut si artes, quae sunt plurimae a dicendi magistris compositae, tam quae conservatae sunt quam quae interierunt, in nullo alio dicendi genere versantur quam in oratorio?

Cap. V. Neque vero est quod longe quaeras, quid tam diligenti studio tamque crebro usu eloquentiae continuo effectum sit quamque id late patuerit. Est enim hoc ipsum mirum, quod dum eloquentia partim ipsa per se nullius vel adiumento vel auctoritate, partim grammaticorum et rhetorum institutione magis magisque perficitur, ceterae artes haudquaquam pariter incrementa capiunt. Itaque poetae Ennius, Naevius, Pacuvius quique his coniuncti sunt studiorum societate, paucis exceptis, in vertendis, imitandis transferendisque Graecis exemplaribus semper acquieverunt; philosophorum autem oratio tam exilis erat atque incondita, ut nemo esset eorum, quem vellet cognoscere Cicero. Cui simile est vel potius consequens illud, quod, cum aurea incidisset Latinitatis aetas Augusto imperante, solutus sermo ab Hortensio, Cicerone, aliis perfectus iam erat omnique instrumento orationis se instruxerat, id autem sibi poesis etiamtum petebat a Graecis. Non igitur ut Graecae, ita Latinae litterae se extulerunt ante rhetorum aetatem, certe non poesis Latina, nisi forte affers Enniana illa, quae quidem ut omnia ab imitatoribus eius tentata satis simplicia fuisse eademque politioris aetatis iudicio non probata esse constat. Denique illud non est omittendum, paucos exstitisse Romanorum vel poetas vel rerum scriptores vel philosophos, qui non rhetorum disciplina instituti atque forensi usu imbuti fuerint: quam in rem ex multis afferre libet Ovidium, Lucanum, Asinium Pollionem, L. Senecam. Quamquam quid universe significare malumus, quam vim habuerit in Latinas litteras eloquentia, quam qua ratione eae inter se contineantur certa fide testimoniorum explorare?

Cap. VI. Nam in Latinae eloquentiae curriculo, ut par est, Ciceronem si sequimur, duplex eum genus oratorum distinguere videmus. Prioris, ut diximus, principem vult esse M. Catonem Censorium, Ennii aequalem, extremos M. Antonium

et L. Crassum: erat autem nonaginta fere annorum magisque eo, quod sperari posse videbatur, quam quod effectum est memorabile. Studio quidem optimo ac paullo altiore animo praediti oratores tum omnes, quidam etiam Graecis doctrinis instituti, complures imbuti humanitate erant, sed omnium iudicium aeque infirmum, sermo horridus et incultus, conformatio sententiarum nulla, ut, quidquid in iis esset, naturae magis beneficio quam studio artis ac disciplina haberent. Alterum oratorum ordinem ducunt M. Antonius et L. Crassus, qui ordo quinquaginta circiter annorum usque eo pertinet, cum primum in forum prodiit Cicero. Is autem videbatur in omni genere felicissime profecisse nominatque in laudibus eius Cicero inventionis copiam, dispositionis diligentiam, argumentandi subtilitatem, verborum denique dignitatem et orationem facetiis liberaliter conditam. Ac C. Caesaris in dicendo agendoque elegantiam diu nemo est assecutus, mox tamen et huic et reliquis antecessit Q. Hortensius: ita erat praeclara indole ornatus, quam summa industria exercendique assiduitate emendatissimam haberet. Tertii ordinis caput si statuimus esse Ciceronem, huius ipsius voluntatem iusto, ut debemus, animo interpretamur. Is enim cum omnem orationem et oratorum et philosophorum et epistolarum ad perfectionem adduxit, tum vero hominum iudicia ad rationis stabilitatem vocavit, qui quidem quanti aestimandus esset et aequales eius recte iudicaverunt et omnium seculorum consensu comprobatum est. Proximi ab hoc erant M. Coelius, C. Calvus, Serv. Sulpicius, C. Asinius Pollio, Q. Haterius, M. Messala Corvinus, digni sane, qui et competitores essent dicendi gloriae et ipsi aequalium scriptorum admirationem ac laudem consequerentur.

Cap. VII. Atque ad horum quidem oratorum, quos modo nominavimus, aetatem non defuisse eloquentiae auctoritatem suam ac dignitatem omnia testantur. Quamvis enim harum rerum existimatores, imprimis M. Seneca, non pauca esse dicant, in quibus illi, qui Augusto imperante in foro principes exstiterint, reprehendendi videantur, tamen hoc non magis verum est quam illud, non omnia summa eos consecutos esse: ut non dissimile sit, quod in suae aetatis oratoribus desiderare

sibi videtur Cicero, sed ita videtur, ut de virtutibus eorum non detrahat. Verum non ita multo post, Claudii, quod constet, vel quod probabile est ipsius Tiberii imperio, cum magis in dies et numero augerentur et ludis usquequaque apertis celebrarentur Latini rhetores, factum est eorum disciplina, ut rectum ac sincerum iudicium corrumperetur. Hi illi sunt, quos reicit Petronius, quod ‚levibus atque inanibus sonis ludibria quaedam excitando effecerint ut corpus orationis enervaretur et caderet;' hi illi, de quibus cum castigatione auctor dialogi de oratoribus, ‚At nunc, inquit, adolescentes nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur, quibus non facile dixerim, utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis afferant;' hi denique illi, quorum perversis exercitationibus et iudiciale dicendi genus depravatum et vanitatem ac tumorem adiutum esse non temere dicit Quintilianus. Et quomodo posteriore etiam tempore, Hadriani dico eorumque imperatorum, qui huius aetati successerunt, inclinata sit eloquentia, ex iis, quae ex illa aetate servatae sunt, monumentorum reliquiis satis apparet. Nam cum primum quidem seculum singulorum saltem hominum, ut Plinii oratoris vel Quintiliani rhetoris laude floruisset, iis, quae insecuta sunt, seculis eloquentia, imprimis iudicialis, magis magisque corrupta est exstiteruntque foeda illa laudationum lenocinia, quae plane abhorrentia a veritate nihil habent nisi vel miserationem vel contemptionem.

Cap. VIII. Iam vero si cum his tam variis eloquentiae conversionibus ipsarum conversiones litterarum contendimus, equidem negari non potest, inter utrasque easdem mutuas rationes intercedere, quas fere inter nostras externorumque populorum, quorum sensim ad usum consuetudinemque adducti sumus, litteras et intercessisse et etiamnunc intercedere intelligimus: id quod mihi liceat brevi comparatione probare. Ac de prioribus quidem Latinarum litterarum aetatibus, antequam exstitit Cicero, admodum difficile est quidquam certi constituere: nam etiamsi iis, quae ab illo in Bruto sunt vel narrando vel existimando prodita, ipsorum monumentorum damnum quodammodo sarcitur, tamen quae vel poetarum vel histori-

corum reliquiae ex illis temporibus servatae ad nostram aetatem pervenerunt, eae ad iustam comparandi sententiam non sane idoneae sunt. Verum tamen exstant quaedam haud contemnenda indicia, quibus illud, quod diximus, demonstrari posse videatur. Nam Ennii quidem annales, quibus res Romanorum servato temporum ordine rerumque, ut videtur, fide perpetuae describuntur numero heroo, ii orationis artificium verborumque nitorem non magis sibi tribui volunt, quam ea, quae sunt ab aequalibus eius oratoribus in foro ac iudiciis acta. In Lucilii autem satiris, id quod non testimoniis solum, sed ipsis etiam earum reliquiis apparet, eadem illa non modo agrestis et inurbana dicacitas, quam tum in foro increbruisse saepius est a Cicerone commemoratum, sed etiam invenusta atque inelegans oratio, quam supra memoravimus etiam in Antonio fuisse eamque a Caesare demum aliisque superatam esse, deprehenditur. Itemque historia ultima Romanorum, quam quidem norimus, ieiunitatem prae se ferebat atque asperitatem neque ulla re dicendi arti videtur praestitisse: quod quidem eo minus fieri potuit, cum complures veteres, qui dicendi laude excellerent, inter quos C. Cornelius Sisenna, L. Fannius, C. Coelius Antipater, alii, iidem primi exstiterint, qui res populi sui litteris consignarent.

Cap. IX. Sed quoniam in hac prima Latinarum litterarum aetate monumentorum fide et auctoritate destituti sumus, difficile est, quomodo ad has eloquentia pertinuerit, demonstrare, idque eo etiam maiorem habet dubitationem, huius cursum cum illis coniungere, quod quae utriusque generis inter se communia sunt, ea ex linguae aetate et condicione repeti facile possunt. Multo illud certius cognoscitur tum, postquam Ciceronis eiusque aequalium opera effectum est, ut et ingenia hominum ad iudicandi elegantiam exacuerentur et amplum illud atque oratorium dicendi genus perficeretur et aures numerorum suavitate delectari consuescerent. Cognoverunt tum Romani, quod et nostri homines et pleraeque recentiores Europae gentes, in litteris non aeque atque in rebus publicis multarum causarum concursione opus esse ad res vehementius commutandas, sed id plerumque in unius viri virtute et magnitudine

positum esse. Atque hoc illa, qua diximus, aetate in Latinas litteras prorsus cadere non una re memorabili manifestum est. Nam et orationis, imprimis poeticae, novus tunc habitus ac laetior color et quod videmus in poetarum historicorumque libris vel elaboratas contiones vel longas pugnarum descriptiones vel amplificatas vetustissimae memoriae res, quas contra fidem historiae esse constat, vel morum notationes hominumque imagines, quae ab omni veritate personarum recessisse videntur, ornamenti caussa frequentari, haec omnia documento sunt, scripsisse tum illos non eo consilio, ut quae essent vel fierent, nude ac simpliciter narrata, sed ut illo ipso modo narrata id est quam vehementissime illustrata essent. Itaque factum est ut, cum in sermonem magna vis oratorii instrumenti infunderetur, veritas paullatim delectationis illecebris ac simplex oratio studiose quaesitae concinnitati cederet: etsi tum quidem elegantiam fere ac sanitatem retinebant, cum sentirent, artem, ut ait Quintilianus, quae se ostenderet, artem esse desinere.

Cap. X. Verum hic sensus mox evanuit vel potius proinde obscuratus est, ut rhetorum auditoria magis frequentari eorumque disciplinae, contra ac superiore aetate fieri solebat, nimium tribui coeptum est. Nam et Lucanus, praestantissimus ille posteriorum epicorum, et Iuvenalis, probatissimus satirarum scriptor, tantum abest, ut qua disciplina educati sint non ostendant, ut quavis fere pagina qua ratione instituti sint testentur. Eandemque disciplinae rationem prae se ferunt Plinii minoris cum comptae illae ac calamistris inustae epistolae, tum multo etiam magis panegyricus Traiani, etsi is omnium huius generis, quotquot ex antiquitate ad nostram memoriam proditi sunt, et verecundissimus est et moderatissimus. Quid? quod ipsius Taciti, clarissimi illius aetatis rhetoris, scripta oratoria illa forma maxime insignia sunt, quanquam id quidem in oratione magis quam in sententiis inest: ita non videtur ille ab divino suo ac semper penitus commoto animo impetrare potuisse, ut ullum dicendi artificium studiosius consectaretur. Mitto L. Annaeum Senecam, cuius scripta, etiamsi alia testimonia non extarent, certe efficerent, ut eum et filium et discipulum M. Annaei Senecae esse putaremus: hoc unum de eo commonefacere

libet, neminem veterum, quae suae aetatis dicendi ratio voluntasque fuerit, ad quam ipse duceretur vel potius totus raperetur, hoc ipso vel magis intellexisse vel praeclarius ac verius descripsisse. Ex compluribus locis, quibus huius labis mentionem facit, unum afferre a re non alienum fuerit. In epistola ad Lucilium suum centesima quarta decima ‚Cum assuevit‘, inquit, ‚animus fastidire quae ex more sunt et illi pro sordidis solita sunt, etiam in oratione quod novum est quaerit et modo antiqua verba atque exoleta revocat et profert, modo fingit et ignota deflectit, modo id quod nuper increbruit, pro cultu habetur audax translatio ac frequens. Sunt qui sensus praecidant et hinc gratiam sperent, si sententia pependerit et audienti suspicionem sui fecerit; sunt qui illos detineant et porrigant; sunt qui non usque ad vitium accedant, sed qui ipsum vitium ament. Quomodo conviviorum luxuria, quomodo vestium aegrae civitatis indicia sunt, sic orationis licentia ostendit animos quoque, a quibus verba exeunt, procidisse.‘

Cap. XI. Longius si progredimur ad Hadriani et eorum qui huic successerunt aetatem, studia hominum ut laetissime vigere ita foede evenire videmus. Nam cum admodum sit laudabile, quod et rhetorum scholae omnibus locis cum in ceteris imperii provinciis augentur tum maxime in Gallia plures efflorescunt, et quod professores a civitatibus praeficiuntur mercede publice data et quod omnium discendi desiderium, dum vel domesticis bellis vel externis hostibus conflictantur, magis accendi videtur, tamen his, quae rerum laetissimarum spem ostendant, eventum ipsum, sive incrementa litterarum sive hominum iudicia ad sanitatem reducenda spectas, non respondere magnopere dolendum est. Ac primum eloquentia quoniam in iudiciis iacet ac fere assentationibus laudationibusque vel natalium vel nuptiarum vel regni initiorum vel triumphalium solemnium principum continetur, cum magis in dies illis se vendere ac venditare, tum ipsa insulsior ac ieiunior esse incipit. Philosophia autem ex studiosis suis, qui quidem gentiles essent, neminem maiorem nominare potest, quam L. Apuleium. In poetis vero soli numerantur Claudianus et Ausonius, quorum ille ut temporibus illis prope miraculi loco habendus est. Historia

denique non modo non redit ad sanitatem aut modica illa lumina, quibus uti consuerat, persequitur, sed ita depravatur, ut vel inopia ac ieiunitate attenuata omnem sucum ac sanguinem amittat suum vel, quod ipsum illius aetatis proprium a Graecorum litteris prorsus abhorret, in epitomarum vel summariorum angustias compellatur. — Ac videor mihi iis, quae hactenus exposui, satis explanasse, qua potissimum causa factum sit, Latinae litterae ut ad istam rationem atque ad illa oratoria ornamenta dicendi inclinarent: sed accedunt duae aliae causae, una extrinsecus allata, altera in ipsis litteris posita, quarum gravitate illius vis prioris non mediocriter adaucta vel certe adiuta est; ad quas ipsas paulisper animum advertere opus est.

Cap. XII. Tametsi igitur cum Aegyptiis regnante iam altero rege Ptolemaeo Philadelpho 481 U. c. ratio Romanis publice intercessit, quae deinde nunquam interrupta est, tamen id non eo valuit, ut etiam ii, qui litteras colerent, quodam cum Alexandrinis commercio et usu coniungerentur: nam Athenas quidem, doctissimam civitatem, amoenissimasque Asiae urbes philosophis, oratoribus, dicendi magistris affluentes ii Romani, qui se doctrina atque optimarum artium studiis eruditos vellent, tanquam Musarum quaedam delubra adire nunquam intermiserunt et adibant etiam Cicero, Atticus, Brutus et quis non? Quod ita esse desiit, postquam Augusto imperante Aegypto in provinciae formam redacta, cum mercatorum commercia utriusque urbis frequentari coepissent, etiam docti illarum civitatum arctius inter se coniuncti sunt: quod quidem singulari fortunae beneficio contigit, ut Romani quo tempore efflorescere eorum litterae ipsique suo iudicio stare coepissent, eo ipso Alexandrinorum doctrinam cognoscerent animique iam iis, quae ab illis inventa et excogitata erant, conciliarentur. Non est propositi mei, ut quae multa huius rei indicia in litteris Romanorum apparent, investigem aut demonstrem: satis est illud commemorasse, neque Virgilium non multa ex Alexandrinis duxisse et Propertium Philetae et Callimachi vestigia persecutum esse. Sed cum ille omnino, hic plerumque certam rationem transferendi vel imitandi modum adhibeat, multo magis hoc offendit in Silio, Valerio Flacco, Statio, quod ad insitum

exornandae orationis studium doctrinae rationem afferunt, qua ad maiorem in illo genere industriam intemperantius abutantur: ut quo morbo Graecarum litterarum robur extrema demum senectute afficitur, eo Latinae velut robigine quadam inficiantur efflorescentes.

Cap. XIII. Ceterum hac nova et adventicia ratione, quam ingressae sunt Romanorum litterae, idem illud, quod in Aegypto, nescio quo singulari casu et cum summo illarum damno evenire videmus. Ut enim Alexandreae Ptolemaei, ita Romae imperatores ne pessimis quidem exceptis cum in inanis cuiusdam ac portentosae doctrinae ostentatione amplectenda fovendaque delectentur, ipsi et auctoritate et exemplo multum ad maturandam litterarum perniciem conferunt. Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Hadrianus se quisque et doctum esse vult et iactare doctrinam in populo cupit. Quorum unus obscurum illud Euphorionis genus aliorumque poetarum Alexandrinorum imitatur et grammaticis in percunctando ex veterum fabulis rebusque gestis ineptissima ponit; alter, ut quid dicendo possit ostendat, eorum, qui in senatu rei facti essent, defensiones accusationesque meditatur; tertius laudi sibi ducit, quod tres novas litteras, quas nemo agnoscit, veterum numero addiderit; quartus tantopere captus est modulatis Alexandrinorum laudationibus, ut plures huius artis peritos Alexandrea evocet, qui ipsi, cum in scenam prodierit, suo modo plaudant; quintus denique haud sane contemnenda doctrina instructus tamen omnibus rebus quam sit Alexandrinorum ratione corruptus ac quasi perditus ostendit: ita vel cupide ambitioseque doctrinae laudem appetit vel horride et scholasticorum more ipsas litteras tractat vel avide ac vehementer in auditoriis non minus quam in regno principem se esse studet. Atque est etiam alius quidam isque laudabilis mos ad comparandos Aegyptiorum Ptolemaeos et Romanorum imperatores non incommodus, quod utrique litterarum studia externarum rerum adiumentis augere soliti sunt. Nam sicut illi, ita hi assiduissime operam dabant vel bibliothecis exstruendis vel reficiendis iis, quae incendio vel casu aliquo dirutae essent, vel museis discendique ludis aedificandis vel ingeniis omni modo ad virtutem laudemque

excitandis ac stimulandis: ut si vel fugientes litterae principum liberalitate retineri vel labenti rectae consuetudini externorum ope adminiculorum occurri posset, certe futurum fuisse credam, ut utriusque rei effectae laudem pro sua vindicarent imperatores.

Cap. XIV. Sed illa ipsa ratione, qua perfectae sunt Latinae litterae, aliud aliquid allatum est, quod ad habitum earum vel maxime pertineret. Nam Graecae quidem litterae placido sane ac prope molli gradu processerant; qui cum Musarum ludos puerili, ut ait vere et acute Horatius, laetitia celebrarent et quidquid in liberalibus studiis optimisque artibus consecuti sunt, id omne subsecivis, ut dicitur, operis consequerentur, neque voluptates, quas ex litteris perciperent, festinantius aut affluentius aliam ex alia hauriebant et iis quae aderant commode satis perfrui poterant. Quo factum est, ut neque alieno tempore critica nasceretur, quae quidem sero in lucem prodiit, qua vel scribentium ingenia retardarentur vel legentium iudicia occuparentur, neque timendum esset, ne, cum fertiles quasi ad excolendum campi quaeque eo ducerent apertae viae abunde suppeterent, ad desertarum regionum sterilitatem devio quis itinere aberraret. Longe aliter res se habuit Romanorum in litteris, quales descriptas habemus ab eodem illo poeta: qui cum rebus potissimum gerendis intenti vel in legibus ferendis et iure dicundo vel in republica constituenda et administranda vel in bellis gerendis componendisque et vires et tempus consumerent, ea quae delectationem ingenii afferunt, ut non quaerebant, ita aliquamdiu non magni aut nihili facienda esse existimabant. Itaque compluribus seculis interiectis tum denique litterarum artiumque desiderium increbrescere animique utroque genere delectari coeperunt, qui quidem semel excitati ita vehementer commoti sunt, ut una omnes cupiditate incensi scribendi viderentur. Tum docti indoctique huc animum appellere; in summa varietate litterarum bona cum malis, ut solet, magis magisque confundi; in plurimis libris difficilior delectus, iudicia in omnes partes distracta infirmiora fieri. Ita litterarum artiumque studiis id, quod si serius firmatis hominum iudiciis accidisset, nihil aut non mul-

tum damni intulisset, tunc, cum maturius evenisset, causa exstitit, ut ipsa in peiorem partem verterent.

Cap. XV. Atque cum hac re quam diximus, tum doctorum inter se dissensionibus ac discidiis vehementius excitata sunt criticorum studia. Nam Latinas litteras primo statim ortu cum critica arte coniunctissimas fuisse cum ex aliis tum ex Suetonio constat. Etenim illi ipsi grammatici, qui primum Romae exstiterunt, sua auctoritate effecerunt, ut ii, qui litteris operam darent, critica praecipue et grammatica consectarentur: ut mirum non sit, si Romani ii, qui Augusti aetate fuerunt, institutam rationem amplexi ac persecuti criticam ad suae aetatis studia quaeque in hoc genere nova proferrentur transferendam adhibendamque putarunt, ac si non modo Horatii temporibus, id quod ex iis apparet, quae in hanc rem frequenter commemorat, urbs criticorum multitudine refertissima fuit, sed etiam, cum Iuvenalis esset, illo quasi furore captae ipsae feminae tenebantur. Sed hac ipsa in re, quod celerrime optimae artes magis ad iudicandi calliditatem quam ad legendi delectationem revocatae sunt, quodque magna criticorum vis undique proveniebat, qui neque omnes ita ut Maecius Tarpa in eo quod profitebantur excellerent et vero tum lepida et concinna amplis et pulcris, tum docta et recondita nudis et apertis, tum prisca et vetusta recentibus ac politioribus anteponerent, aliquid etiam momenti inesse apparet, quod in aestimandis Romanorum litteris earumque a Graecis diverso cursu iudicando non omitti debeat: quoniam quidem magis secundum naturam est, artem per se ipsam excoli suisque incrementis adolescere criticaeque ab illa, non ipsi a critica lumen accedere.

Mater. VII.

Ex epistola B. G. Niebuhrii ad adolescentem data, qui antiquitatis studia amplexurus erat.

Cap. I. Cum ex optimae matris tuae litteris ad me datis cognovissem, inclinare te certa animi voluntate ad antiquitatis studia, gaudere me ei significavi ipsamque et patrem tuum rogavi, caverent, ne istam voluntatis rationem aliis vitae consiliis proponendis turbare aut impedire vellent. Ita tum ei dixisse mihi videor, quoniam antiquitatis studium ad ceteras omnes artes aditum aperiret, eum, qui id in schola diligentissime coleret tanquam aetatem in eo esset consumpturus, cuicunque se disciplinae in academia daturus esset, optime institui ac praeparari. Ac mihi quidem tam carum illud est, ut praesertim te coniunctissimum mecum amicitiae et affinitatis vinculis malim in nullo alio vitae genere versari, quam in hoc, quo nullum est quod aut plus habeat iucunditatis ac laetitiae aut quod officiorum genere et functione tranquillitatem animi mentisque melius tueatur: quo ego relicto deinde ad turbulentioris vitae, quae haud scio, an ne senescente quidem aetate ad diuturnam quietem perventura sit, negotia laboresque me transtulisse quoties cum summo dolore meo conquestus sum! Imprimisque ludimagistri munus prorsus honestum esse existimo, quod licet non ita excellens atque eximium sit, ut non incommodis quibusdam suis implicatum teneatur, tamen ingenuo homini nullum videtur felicius vitae genus suscipi posse. Quod utinam mihimet a me

ipso olim propositum semper sequi licuisset: nunc, cum magnitudine negotiorum, in quibus occupatam vitam habui, desuefactus illi non iam idoneum me esse sentiam, tamen cui tam vere atque ex animo velim, quam tibi, eum non similiter a se discedere neque a minoris muneris, in quo ipse adolescentiam egi, tranquillitate securitateque avocare animum cupio.

Cap. II. Itaque cum ex matris tuae litteris intellexissem, velle te scripti aliquid ad me mittere, quod et studii tui ac diligentiae testimonium esset et me quantum profecisses in litteris doceret, auctor ei fui ut adhortatione te mea incitaret, non solum ut hoc documento tu tuique intelligeretis, quam ego tui studiosus ēssem, sed etiam quod in ipsis istis antiquitatis studiis optime mihi perspexisse videbar, et quis finis eorum esset et quibus rationibus vel perveniri ad eum vel aberrari posset, ut et eum, cui rectam viam ingredi contigisset, initam ne relinqueret confirmare, et qui aberrare cum suo periculo videretur, gravissimis rationibus revocare et quo, nisi flecteret, deventurus esset commonefacere possem. Nam ego quidem fere nullo duce et magistro aut etiam neglectis monitis eorum, qui cum exemplo et auctoritate praeire possent, lenius admonuisse satis habuerunt, ita perrexi, saepe ut per summas asperitates nitendum esset. Quod dei propitii providerunt ne ita male mihi eveniret, ut aut aberrarem a proposito aut in viam, a qua declinassem, ne redirem: quae quidem si mihi monstrata esset ab aliquo, propius profecto et cum minore dolore meo ad id, quo tendebam, accessissem. Quod cum intelligam illud a plerisque non factum esse propterea, quod vel pudori meo parcendum putarent, vel quod nonnullis molestum nimis videretur, ad contumacis pueri — sic enim est illa aetas — mentem intelligentiamque se accommodare; cumque facile fastidivissem quodcumque mihi consilii impertitum esset a voluntate mea alienum, tamen id, si a prudenti datum esset, non modo non sprevissem, sed datum esse, etiamsi animum acerbissime vulnerasset, etiamnunc vehementer gauderem. Tibi vero libentissime dico, ut res est, commentationem tuam egregium esse diligentiae tuae documentum, ex quo iucundissimum mihi fuerit cognoscere quantum tu his sex annis, cum proxime

una fuimus, et studio et doctrina profecisses. Quod cum videam te in veteribus scriptis volutatum esse studiose ac diligenter, tamen, ut aperte dicam quod sentio, hoc primum te admonitum velim, ut latinam dictionem tuam excutias tibique in hoc genere aliquid deesse intelligas. Omitto, quaedam a te peccata esse in grammaticam: in quo genere nihil plane dissentio a Spaldingii, viri, dum vivus fuit, mihi amicissimi, sententia, qui haec omnium minime moleste ferebat, modo id notando efficeret, ut paulatim abolerentur; sed illa graviora sunt, quod saepius in verborum continuatione sententiarumque absolutione haeres, quod verbis uteris non proprie demonstrantibus ea, quae declarari vis, quod orationis genere inflatus es neque uno, ut aiunt, tenore in dicendo fluis, denique quod translationes non recte ac ratione sumis.

Cap. III. Ac primum non ita recto uteris dicendi genere, ut quod mente et cogitatione plane perceperis, simpliciter summisseque explices. Te quidem copiose non posse numeroseque dicere, non est reprehendendum; quod quamquam fuerunt praesertim superioribus aetatibus, qui excellenti ingenio ac natura ducti in ea aetate, qua tu es, efficerent ac consequerentur, tamen, ut consuetudo fert, ne potes quidem ita esse perfectus, quoniam copia ac summa vis dicendi in perfectione animi est, quam affert progressio discendi humanitatisque absolutio. Sed quod semper et potes et debes, hoc est, ne quid maius studeas videri, quam es, atque ut recte simpliciterque et sentias et dicas. Itaque hoc te utilissimum admoneo, quod quaeso in bonam partem accipias, ut, si Latine commenteris, quae dicturus sis, ea et quam possis planissime mente complectare et simplicissime verbis efferas. Atque etiam sententiarum ad numerum conclusionem, qualis est nobilissimorum scriptorum, diligenter cognosces eamque interdum imitando exprimere studebis, cum ita vertes singula, ut laxatis continuationum nodis, ubi ad retrovertendum accesseris, sententias in quadrum redigas: ad quam exercitationem ne opus quidem tibi erit magistri institutio. In scribendo autem cum summa diligentia exquires, num eorum, quae dices, unus idemque color sit: in quo nihil refert, utrum Livium vel Ciceronem an Taci-

tum vel Quintilianum sequare, modo unam aliquam aetatem eligas istamque defugias varietatem, quae vero philologo non minus odiosa est, quam si quis Germanice loquens seculi decimi sexti et duodevicesimi genera confundat. Denique illud est consequendum, ut et sententias recte inter se connectere scias: qua arte si quid caret, quod fertur latinum esse, legentium animi enecantur: et vero ut in translationum usu religiosissimus sis, in quibus quod non plane incorruptum sit, ferri nequeat: quo ipso fit, ut qui latine scribat, bene scribere omnino optime discat.

Mater. VIII.

De neglecto apud Romanos philosophiae studio.

Cap. I. Prooemium secundi libri Ciceronis de Officiis in eo versatur, ut philosophiae studium tale esse demonstret, quod omnium laude et approbatione dignissimum esse iudicetur: quod sane eiusmodi est, ut iis, qui Ciceroni legendo operam dant, et per se mirum videri debeat et, cum tot locis idem repetitum esse videant, postremo odiosum ac molestum fiat. Nobis enim, cum nemo sit nostrum, qui germanae philosophiae vel dignitatem suam esse vel operam in ea collocare etiam summis in republica viris honeste licere neget, profecto quod illud tam saepe excusandum putat Cicero supervacaneum videtur. Nam quod ita ea fere demonstrare aggreditur, quae nemo non credit, nihil in eam rem potest afferre, quod non omnibus satis cognitum sit: quo fit, ut saepe verbosior ac putidiusculus videatur. Sed illud sane in hac causa iure quaerendum est, quomodo factum sit, ut excusatione illi

omnino opus esse videretur utque in populo nec rationis nec eruditionis experti, quales erant illis temporibus Romani, ea valeret opinio, ut et scientiam, quae ex litteris hauriretur, et studium, quod in illa vel comparanda vel divulganda poneretur, non modo nobilem hominem, sed ne bonum quidem civem decere arbitrarentur. Hanc enim fuisse opinionem inter Romanos praeter illam Ciceronis defensionem etiam alia res documento est. Postquam enim Graeciae et litterae et docti homines Romam advenerunt, summi huius civitatis viri litterarum, quae quidem ab illis excultae essent, studiis ita se dederant, ut tamen, cum vel coram populo vel apud senatum dicerent, philosophiae atque Graecarum litterarum scientiam de industria dissimularent, ut prudentia eorum vel a natura atque ingenio profecta vel ex ea disciplina, quam a maioribus accepissent, ducta putaretur. Quod si tamen apud populum increbuerat esse etiam alia, unde illi sua sumerent, omni modo eam opinionem vel refutare vel excusare conati sunt.

Cap. II. Est autem haec res prope singularis exempli. Nam ceteri Europae populi, postquam in studiis liberalibus et litteris versari coeperunt, ita semper inter se contenderunt de doctrinae laude, ut nullus eorum suis civibus quod in illa excellerent crimini dandum esse iudicaret. Quod enim media aetate, quae dicitur, a nobilitate contempta est doctrina vel hodie contemnitur quibusdam locis, valde dissimile est: hoc enim erat ignorantiae. Ipsi enim illi, qui philosophiam despiciebant, dicendi quoque artem et scientiam iuris despiciebant, atque cum nihil nossent nisi corporis et armorum exercitationes, aspernandis legendi commentandique studiis hominibusque, qui in eis versabantur, despiciendis contemnere litteras potius quam condemnare videbantur. Apud Romanos autem eloquentia quidem et iuris scientia cum universi populi honore tum summorum virorum studiis ita florebat, ut hac vel scientia vel facultate via muniretur ad dignitatem et honores non minus, quam fortitudine bellica. Hi igitur quod philosophiae, quae proprie dicitur, quae quidem illis temporibus a doctrina atque litteris non disiuncta habebatur, studium minime probarunt, fecisse id putandi sunt, non quo ab omni

studio mentisque agitatione abhorrerent, sed quod de hoc uno genere male opinabantur atque id non tam contemnendum quam perniciosum esse existimabant.

Cap. III. Atque huius tam mirabilis rei causas si quaerimus, prima ac non levissima haec videtur, quod se suaque Romani prae aliis gentibus nimis admirati sunt. Qui cum eo tempore, quo Graecarum litterarum cognitione primum imbuti sunt, plurimarum iam terrarum imperium obtinerent atque et civili prudentia et rei militaris peritia multo cum ceteris omnibus populis tum etiam Graecis antecellerent, fieri non potuit, quin vulgo Romanorum, cum illis nullius rei laudem concedendam putaret, ea prudentia, quae Graecis vel litteris vel doctoribus perciperetur, odio atque invidiae esset, eaque carere tanto facilius sibi viderentur, quod maiores sui rudes illius ignarique fuissent. Itaque si quis clarus vir Graecis uteretur praeceptoribus, ii, qui prae suae gentis moribus et institutis omnia despiciebant, et Romani nominis auctoritatem imminui et domesticae sapientiae sanctitatem pollui putabant. Altera causa haec est, quod multi et sapientes Romani ea tradi ista doctrina vulgarique opinabantur, quae cum moribus omnino tum sacris et civilibus institutis obstare atque officere viderentur: nimirum litterae cum artibus, artes cum luxuria, luxuria cum corruptis moribus coniuncta esse videbatur. Atque cum Graeci ipsi iis temporibus, quibus litteras illas Romam importarunt, non iam neque in publicis rebus suis neque in privata consuetudine virtute praestarent, Romani, quoniam eos, qui se illarum magistros profiterentur, flagitiorum accusari videbant, has ipsas damnum inferre moribus suspicati sunt. Omninoque ii, qui antiquitati vehementius dediti erant, hoc sibi persuaserant, si quis alia cognosset, quae maiorem haberent ingenii oblectationem, eum non iam satis temporis ac studii vel in legibus perdiscendis vel in armis tractandis vel in republica domi militiaeque gerenda esse collocaturum.

Cap. IV. Denique cum in libera republica quiquid laude aliqua insigne est atque excellit, in odium vocari soleat, tum illa multarum litterarum laus, quae quidem paucorum esset, a multitudine eorum, quibus deerat, moleste ferebatur prop-

terea, quod is se praeponere velle civibus videbatur, qui inde scientiam peteret, quo non ceteris quoque aditus pateret. Quare cum in civilibus rebus eorum, qui id agerent, ut mentem ingeniumque exacuerent, magis fugiendae viderentur insidiae ac fraudes, ei, qui in iudiciis vel coram populo dicturus erat, quo orationi fidem faceret, imprimis hoc erat efficiendum, ut ii, qui audirent, et prudentia eum parem ipsis se habere atque ea, quae afferret, a consuetudine communis sensus iisque rationibus, quas a maioribus traditas haberent, ducta existimarent neque quidquam causae esse intelligerent, quod argutias caverent eius, cuius nullum esset singulare artificium iis, quae diceret, speciem quandam veritatis ac fucum adhibendi.

Mater. IX.

De Thersita Homerico.

Cap. I. In embolio illo Thersitae, quod est in Iliadem inclusum, duo nostri clarissimi scriptores ita versati sunt, ut neuter eorum, ad quas illud rationes revocandum esset, satis perspexisse atque in eo defendendo magis, quid ipsi acumine ingenii valerent, quam quid in illo laudis esset, demonstrasse videantur. Ac Lessingius quidem in eo libro, qui Laocoon inscribitur, cum hanc quaestionem instituisset, quomodo Homerus quod in pulchritudine hominum commemoranda nunquam fecisset, id admisisset in deformitatis mentione, ut eius singulas partes describeret ac depingeret, ita de hoc argumento respondit, ut cum deformitatem partem ridiculi esse doceret, tum istam foedi ac maledici militis descriptionem ad risum movendum

comparatam esse existimaret. Quod, quamvis recte omnino se habeat deformitatem cum risu coniunctam esse, abesse a vero mihi videtur. Illud Herderi probabilius et ab Homeri consuetudine minus abhorrens, qui negat id agere poetam, ut ridiculum videatur Thersitae ingenium, sed contemptum hominem atque abiectum eundemque deformem induci. Quamquam idem in fraudem impellit legentium animos, quod turpem istum arbitratur eum esse, qui universi Graecorum vulgi personam sustinens quod sui similes in exercitu animis agitent, id omne edisserat. Sunt autem disputata haec ab Herdero contra Klotzii sententiam, cui embolium hoc omnino reiciendum videbatur, quod neque loco positum esset et ab dignitate heroi carminis abhorreret. Quorum quidem posteriori argumento facile occurri poterat: nam si non inutiliter additus est maledicus iste et cum ceteris rebus, quae aguntur, necessitate quadam continetur, de ridiculis eius moribus epicique carminis dignitate facile possumus esse securi.

Cap. II. Iam si locum hunc, qui est de Thersita, per se ipsum spectamus ac talem esse censemus, qui in descriptione hominis improbi ac maledici versetur, eum profecto omni laude dignum esse negari non potest: ita homo iste paucorum versuum paucis notis ac lineamentis perfecte pingitur planeque exprimitur, ut totus inde a primo adventu suo usque ad eum finem, dum Ulixi verberibus caesus tergum inflectit, omni tempore contemnendus esse videatur. Quod cum ne nostris quidem sensibus alienum videatur animi pravitatem deformitate corporis effingere et ante oculos ponere, in quo innumerabiles poetas Homeri exemplum secutos esse videmus, tum id Homeri aetate etiam maiorem ad animos vim afferret necesse erat. Apud quos enim in perfecti corporis forma membrorumque aequalitate virtus posita putatur, debilitatem deformitatemque contemni ab omnibus consentaneum est. Atque est iste claudus, iste calvo et cacuminato capite ac gibbus homo idem loquax et maledicus utque optimum quemque militum odio persequens, ita ipse his maxime invisus. Ac ne decepti audacia, qua fretus ipsum ducem agminum invadit, quandam eius fortitudinem animi admiraremur, mox eum ita affectum videmus,

ut species illa dilabatur atque corruat. Ab Ulixe enim et verbis acerbissime castigatus et verberibus mulcatus ita haec patienter ac non repugnanter accipit, ut tergo inflexo ploratum edat. Hoc denique addito lineamento perfecta imago est, cui insuper militum plausus, quo quasi quidam fabulae chorus factum id ab Ulixe comprobant, concinnitatis velut cumulus accedit.

Cap. III. Iam vero etsi embolium hoc per se spectatum perfectae notationis laude atque admiratione non indignum esse intelligimus, epicus tamen poeta ita ex dimidia tantum parte excusatus est: qui tum denique plane excusatus erit, cum demonstrari potuerit, esse illud non modo non supervacaneum et separatum ab reliquis, sed etiam cum rebus ipsis, quae aguntur, coniunctum atque ad actionis progressum accommodatum. Quod priusquam aggrediar, movet me auctoritas eius, qui novissime Iliadem interpretatus est, ut hoc praefulciam ac praemuniam. Is enim hunc locum, qui a recentioribus criticis gravissime exagitatus sit, ab Homero, qui quidem res gestas versibus persecutus sit, si ad fidem ac veritatem ea quae facta erant narrare vellet, omitti debuisse negat. Quid? non debuisse omitti ne si inutilis quidem esset ac tam ab ipsa re alienus, quam visus est Klotzio? Proinde quasi debuerit poeta, dummodo res singulas diligenter memoriae traderet, contra legem artis peccare. Enimvero ista ratione neque Homerum neque ullum poetam defendi oportet. Itaque nobis, ut aliam viam ac rationem experiamur, considerandum iam erit, quomodo res, quae aguntur, inter se aptae connexaeque sint.

Cap. IV. Iupiter postquam digresso ab exercitu Achille Thetidi promisit illatam filio iniuriam sese ulturum, somnium mittit Agamemnoni, cuius ille fraude deceptus ad pugnandum excitaretur. Obsecutus adhortationi dum animos voluntatesque militum tentare instituit, iratum se simulans, quod tam diu belli moles flagret, spernensque ad speciem eius conficiendi laudem reditum parare exercitum iubet. Quod quidem multo secus evenit ac speraverat. Omissa enim huius tam turpis reditus ignominia effusa multitudo ad naves ruit iussum, quod sibi optatum acciderat, exsecutura. Qua re perterritus Ulixes Minervae monitu turbae fluctibus se immiscet: blandiri aliis,

alios increpare: postremo obscure iaciendo, nescire illos sibi videri, quae sit vera imperatoris sententia, in contionem rursus compellit, in qua ad sanitatem perducti nimirum hoc ipsum audiant, pro sperato reditu bellum esse redintegrandum. Hic quaeso, quo tu illos animo putas hoc tam diversum iussum laturos esse? An credibile est Ulixis reprehensione exsultantes laetitia animos ita fractos esse atque concidisse, ut non modo non repugnantes novo mandato obediant, sed etiam libenter se revocari ad proelium patiantur?

Cap. V. His ita dubiis rebus interponitur Thersites ille seditiosas voces et convicia iaciens et ob id castigatus. Sed mittamus hunc paulisper tanquam, ut plerique arbitrantur, ornandi causa additum ac talem, qui salvo rerum ordine facile omitti possit. Repressa igitur Thersitae vociferatione Ulixes ad concionandum progressus postquam memoravit, quid repentinus discessus ignominiae habiturus esset, longiore oratione de prodigiis vatumque responsis admonet, quibus post decimum annum expugnatum iri hostium urbem promissum sit. Addit adhuc omnia exitum habuisse: manendum igitur esse, dum ad summum perventum Priamique urbs expugnata sit. Quae cum dixisset ille, tanta Argivorum laetitia exorta est, ut plaudentium clamoribus naves undique resonarent. Post hunc Nestor dicere exorsus postquam gravissima admonitione exprobravit et foedera facta et fidem iureiurando adstrictam iam ad irritum casura, hortatus ut quam primum milites in pugnam reducantur, extrema oratione proponit, quomodo optime acies instrui bellumque administrari possit. Quod ubi assensu suo comprobavit Agamemnon, iussus exercitus se ad pugnandum parare pro se quisque id exsecuturi castra et tentoria rapido cursu repetunt.

Cap. VI. Iam vero quamquam negari non potest ea, quae sint allata in contionibus ab Ulixe et Nestore, magni esse momenti, tamen quoniam et prodigium, quo ille nititur, longo tempore ante visum est, et sacramentis, de quibus hic admonet, principes solum, non populus adstrictus tenetur eaque tempore etiam remotiora sunt, certe haec omnia eiusmodi sunt, ut nihil probent ac demonstrent nisi esse necessitatem quan-

dam impositam in praesens remanendi. Haec autem necessitas officii, quamvis magnam auctoritatem honestatis afferat, tantum tamen abest, ut laeti aliquid ac iucundi habeat, ut, si spei laetissimae succedit, quemadmodum nunc fit, etiam oneri ac tristitiae sit. Quare exspectari potest exercitum, ut ira incensus in alteram contionem convenerat, ita fractis ac demissis animis, si in ea rationum modo pondera et iussa audivisset, ad naves rediturum esse. Quod contra videmus milites necessitatis rationibus parere non coactos, sed laetos: adeo mutati animi sunt, ut et Ulixis orationem plausu prosequantur et ducis iussum non modo efficiant, sed etiam alacritate et clamoribus excipiant.

Cap. VII. Nobis igitur, ut tam subito militum converterentur animi, illo loco, quem antea praetermisimus, videtur effectum esse. Etenim Thersites eo ipso tempore progressus, quo non sane miti adhortatione Ulixis ad contionem iterandam compelluntur milites, cum ex quadam voce illius plenam invidiae suspicionem duxisset, iccirco Agamemnonem tentasse militum animos, ut haberet, cur et in illos animadverteret et ipse suam avaritiam expleret, ad eam procedit audaciam, ut maledictis et conviciis ducem exercitus increpet, se suasque res gestas iactans ceteros, quod isti duci parere velint, ignaviae et timiditatis accuset, denique ut adhortetur, id quod tanta tristitia militum facile impetratu videtur, ut hoc derelicto duce suis auspiciis domum revertantur.

Cap. VIII. Iam qualis hic, cum primum ad dicendum progreditur, informatus sit ab Homero, supra cognovimus: est enim videlicet totius exercitus et corpore turpissimus et animo abiectissimus atque omnibus, nobilibus ignobilibus, pariter invisus. Hinc igitur maxime mihi videtur repetendum esse, ut militum animi impulsi conversique sint: quod quale esset, nisi iste contemptus homo arrogantius se interposuisset, vix satis intelligi posse videretur. Nunc et ipsius dicentis habitus ac figura et quae quisque de eo vel re comperta habet vel animo sentit, eiusmodi sunt, ut et orationi eius auctoritas desit et quibus alioqui concitata seditio esset, ea, quia dicta factaque sunt ab Thersita, a cuius quidem partibus nemo stare velit, fracta et debilitata concidant. Atque non modo nihil movet quod ille

suadet, sed etiam contrarium efficit eius, quod voluerat. Nam et ipse, cum antea iam invisus contemptusque esset, nunc non solum eo, quod summa audacia se cum principibus exercitus exaequat, risum et fastidium movet, sed etiam quod turpiter castigatus hanc ignominiam muliebri fletu excipit, prorsus contemptus ac nullo numero videtur: principum autem, quibus renisus est, maximeque Ulixis, a quo castigatus erat, auctoritas hac ipsa re convalescit. Haec omnia igitur eo valent, ut irati militum animi sedentur ac leniantur; in quibus quod antea accensum erat redeundi desiderium, nunc ita defervescit ac considit, ut id invitis principibus explere, postquam ab homine summa ignominia affecto ac foedissimo commendatum sit, ut est mobile vulgus, inhonestum esse ducat. Itaque commutati animi iis ipsis rationibus, quibus a proxime dicentium consiliis deterrebantur, his, antequam dicant, conciliantur.

Cap. IX. Quod igitur hac disputatione effectum est, contrarium esse apparet eius, quod sibi invenisse visus est Köppenius. Mihi quidem iis, quae de Thersita narrantur, videtur res, quae maxime agitur, ac pugnae suscipiendae consilium magnopere adiuvari, illi non leve huic rei impedimentum afferri: quod impedimentum cum in voluntate Thersitae et consilio positum sit, id autem quod voluit ille aliter eveniat ac speraverat, hac rerum repugnantia embolium ipsum maxime et commendari et defendi existimo. Iam utrum reapse res ita acciderit, an excogitata sit poetae ingenio, nihil referre puto: si revera accidit, in rem suam poeta prudenter convertit; sin minus, ad eorum quae geruntur continuationem seriemque optime inventa est, ut utroque modo officio poeta cumulatissime satisfecisse putandus sit.

Mater. X.

De Platonis Critone.

Cap. I. Fr. Astius in eo libro, qui inscriptus est de Platonis vita et scriptis, qui liber iis, qui primum ingressuri sunt Platonis lectionem, non sane contemnendus est, cum alia illius philosophi opera tum Critonem incertum et non verum esse professus est. Quod quidem effici concludique existimat his maxime rationibus. Primum negat ipsum sermonem, quem cum Critone conferat Socrates, ulla gravitate aut summam eius tanti fuisse, ut is litteris mandaretur. Nam hoc quidem cum facile intelligatur, gratificari Socratem amicis ut e custodia aufugeret petentibus non potuisse, tum singulari id libello exponere supervacaneum fuisse, praesertim cum hanc mentionem iam inchoasset Plato in Phaedone. Hoc igitur tam tenue ac ieiunum argumentum non potuisse tractare Platonem, quin artificio quodam ac ratione politius limaret, cum praesertim saepissime eae res attingantur, quae, velut iustitia, leges, alia, ipsi auctori gravissimae ad disputandum essent: in quo certe futurum fuerit, non ut religiosius eorum, quae facta sunt, veritatem tueretur, sed, ut in ceteris sermonibus, suas rationes sententiasque immisceret, denique ut etiam in Critone haberemus Socratem non germanum, sed Platonis ingenio expressum et ex omni praestantia virtutis conflatum. Debuisse enim magnum ac memorabilem esse vel sermonem vel actionem, quam litteris mandaret Plato non suo more immutatam. Huc accedere, quod multa insint in Critone, quae imitatione expressa esse appareat de Phaedone: quaedam etiam ex Apologia efficta videri, alia Platone prorsus indigna esse. Denique licet ipsum argumentum a communi intelligentia non disiunctum sit, sermonis tamen ne facilem quidem cursum aut eam perspicuitatem esse, quae sit Euthyphronis et Apologiae: multa esse confusa ac

perturbata, plura languere iterum ac saepius dicta, et quae sunt similia. Quo fieri, ut hic sermo critico et interpreti multo plures, quam ullus alius minorum librorum, qui feruntur Platonis esse, difficultates afferat.

Cap. II. Atque ego quidem ut hoc vel maxime concedam, non tales esse in hoc sermone eos, qui colloquantur inter se, quales esse possint perfectissimi, sed tales induci Critonem et Socratem genere ipso sentiendi dicendique, quales fuerint, tamen vereor, ne non operae pretium fuerit Platoni, ita hunc sermonem, ut est habitus, litteris consignare. Quid? etiamsi videas animo, quae quis acturus sit, nonne nostra vel maxime interesse poterit, ut ille rationes agendi ipse et planius exponat et expositas contra ea, quorum illecebris sexcenti alii facillime irretiantur, defendat atque obtineat? non colloquentium inter se tam suaves tamque graves mores describi poterunt, ut hinc denique actioni ipsi summa et auctoritas et vis accedat? Immo haec ipsa causa videtur fuisse, cur ita hunc sermonem litteris custodiret Plato, ut habitus est. Nam Crito quidem amicum se praebet Socrati et ab initio amantissimum et ad extremum optimum (honestissimum). Illud cum sit, et salvum esse Socratem optat, et, quoniam dubitari non poterat, quin ille iniuria damnatus esset, fuga hinc eum subtrahere iustum esse putat. Qua re cum irrita cecidissent ea, quae antea molitus erat, nunc in ipso rerum discrimine, cum proxime adventura diceretur navis Deliaca, carcerem ingressus quamvis illum instantem mortem nihil extimescere sentiat, tamen pietati hoc maxime deberi existimat, ut omnes salutis causas quam possit maxima cum gravitate animique commotioris ardore iterum persequatur et si quid scrupuli in illius animo resideat, quantum in se sit eximat atque evellat. Atque idem tamen cum ingenuus sit Socratis amicus illoque non indignus, non modo non ita duro animo est, ut veritatis magnique animi vocem non audiat, sed etiam cum aegerrime ferat, omnia deinceps firmamenta causae labefactata corruere, cupideque omnia, quaecunque ex re sua esse videantur, arripiat, tamen ad extremum hoc, quod ei gravissimum dolorem inurit, summae et civilis virtutis et morum honestatis specimen multa cum admiratione ac veneratione agnoscit.

Cap. III. Quanta quam magnifica haec ipsa descriptio hominis, qui ea, quae optare integerrimi animi est vulgoque cum summa virtute coniunctum putatur, quamvis moleste ferat rata non fieri, tamen honestati postponenda arbitratur! Age vero, qualem quamque gravem putatis illum esse, qui non solum hoc, ut alter ita sentiat, efficit, sed etiam id, quod animo complectitur, ipse suis moribus effingit idque cur faciat ea et animi tranquillitate et orationis perspicuitate subtilitateque exponit, quasi disputanda ac quaerenda res sit, non id ipsum, quod credas vix fieri posse nisi a divina quadam natura, in praesens efficiendum. Hocine nihil magni aut memorabile esse? hoc non tanti esse, ut litteris consignetur? Ego vero censeo, si id litteris non mandatum aut non hoc ipso modo, quo ab utroque verbis expressum est, redditum esset, desideraturos nos fuisse aliquid, quo nihil posset maiorem virtutis aut vim aut commendationem habere. In hac enim causa non satis esse putamus aliquid actum esse cognoscere, sed illud videre cupimus, quomodo unumquidque actum sit, quae prima, quae media, quae extrema sint, idque hoc ipso modo videre, ut revera facta sunt. Quamobrem hoc loco Plato simplicem rationem veritatis sequi neque quidquam de suavitate eius, qua rudium doctorumque animos aeque perfunderet, deflectere voluit. Hoc ipsum enim, quo nihil potest esse ad honestatem virtutemque magnificentius, quod Socrates in optima sua causa summa iniuria affectus atque ab amicissimis acerrimo studio rectissimaque voluntate ad spem salutis excitatus tamen omnia sua postponenda ducit, id eiusmodi est, ut ab iis, quae iste tantus tamque fortis animus et senserit et dixerit, ne minimum quidem discedere liceat. Sit sane in nullo alio Platonis dialogo tam nudus Socrates et inornatus, quam in hoc est: in hoc quidem talem esse et volumus et postulamus, qualis fuit: quo si careremus, pulcherrimum quoddam ornamentum ad amplissimam morientis Socratis laudem nobis deesset.

Cap. IV. Iam vero orationis genus in hoc sermone tale est, quod demonstret Platonem subtili ac recto iudicio, quid cuiusque personae proprium esset, perspexisse atque expressisse. Ac Critonis quidem sermo totus ad naturam animi effictus

est: similiter facit, ut si metuat, ne causam non obtineat: multa dicendo quod deest ad gravitatem compensari putat, neque finem dicendi facit, quod iam iam timet ne ea opponantur, quae se diluere ac refellere posse desperet. Ab huius persona valde differre Socratem consentaneum est. Is ut in manifestissima sua causa non id agit, ut verborum multitudine sententiarumque paucitate quoquomodo possit se expediat, sed ut eum, quem unice diligat, argumentis singillatim explicandis erroris convincat. Itaque quoniam veritati, ut eius mos fert, faciles aures praebet, ad singulos argumentationis suae locos ita responderi non aegre fert, ut tamen hoc firmissime adseveret, non praesentem conditionem suam aut mortem instantem ullum ad sententiam suam momentum allaturam esse, sed unam in ratione ac disputatione positam argumentationem. Accurata autem quae videtur esse eius oratio id spectat et consequitur, ut Critonis animum ea afficiat tranquillitate, quae ad rem libere quaerendam accommodatior sit. Quam in rem adhibet dissimulantiam illam, quae talis est, ut cum fere ab ipso profecta mutatis nominibus ad alios referatur, illos ipsos ad se suaque vitia cognoscenda adducat. Illa vero, quibus ratio eius maxime nititur, imprimis hoc, nullo modo neque iniuste agendum aut male faciendum neque iniuriam aut maleficium reddendum esse, de industria exornantur pertractanturque difficillima quaeque, quae cum ipsius conditione maximam similitudinem habent. Tum vero, maximeque in civitate cum parentibus comparanda, quasi quodam divino afflatu concitata oratio patriae sanctitatem et quae ei ab alumnorum pietate maximopere debentur copiosissime persequitur estque tam in verborum delectu quam in membrorum brevitate et ordine quaedam animi penitus commoti inflammatio, fusa usque ad extremum illud gravissimum: ‚Age, faciamus ita, quoniam monstratur a deo.'

Cap. V. Qualis vero oratio, tales sententiae sunt, simplices illae quidem et ab ipsa natura profectae, sed tamen in usu ac consuetudine vitae, quamvis graves sint ad morum honestatem, ab hominum vel cupiditate vel infirmitate saepe neglectae. Sunt autem hae fere:

Nunquam cuiquam iniuriam aut malum inferto, neve illa-

tam iniuriam aut malum referto. — Si quid iustum cum aliquo pactus eris, hoc utique servato. — Qui e carcere atque e vinculis aufugit, res iudicatas rescindendo rem publicam legesque civitatis quantum in se est evertit. — Etiamsi causa non recte iudicata erit, privatus iudicium ne rescindito: nam quoniam civitati et legibus debet, quod et vivit et educatus institutusque est, non magis ex aequo ius illi et civitati est quam filio et patri. — Homines, non respublica, causam non recte iudicant; qui vero e carcere aufugit, in rempublicam ac leges iniustus est. — Nihil patria sanctius, antiquius, magnificentius est: quae quod iusserit, usquequaque faciendum est. — Quoniam integrum dat civitas, si cui respublica ac leges re satis explorate percepta et cognita minus placuerint, quo quisque velit abire, is, qui manet, re declaravit, velle se omnibus civitatis iussis obtemperare aut rationibus eam argumentisque convincere. — Qui e vinculis elapsus est, si in republica bene temperata commorari volet, tanquam corruptor legum suspectus habebitur. — Qui custodiae fuga se subtraxit, opinionem confirmat eorum, qui iure eum damnatum putant. — Qui aufugit, duntaxat eatenus vivit, ut edat et bibat. Quin etiam in dissoluta et effrenata civitate, in qua quidem facilius quam in ulla alia feretur, feretur tam diu, dum omnibus blandietur ac deserviet. — Qui aufugit, si liberorum educandorum curam praetendit, excusatione utitur inani. Nam illos sive secum abducit, patria privat et in peregrinitatem redigit; sive relinquit, nullus iis et nusquam est. — Qui aufugit, neque in hac terra melius hoc est iustius aut sanctius vivit, neque in posterum illuc delatus melius vivet. — Non omnium, sed prudentium hominum rectas opiniones observare oportet. — Non quot sint numero iudicantes, sed quanta prudentia sint, interest. Hoc praeceptum cum ad corporis curam pertinet, tum multo maxime ad animi. In quo satius est emori quam stultorum sententiam sequi: nam non vivere plurimi faciendum, sed bene vivere. Ad veritatem igitur ipsam, cum qua prudentium sententiae conveniunt, facta nostra dirigenda sunt.

Cap. VI. Iam si quid praeterea ab Astio notatum a nobis non ipsum tractatum est, hoc vel illi demonstrandum etiam

vel iis quae diximus iam profligatum est. Ac demonstrandum quidem est, quod dicit multa confusa ac perturbata esse; quod Critonem, qui mihi quidem Apologiae simillimus videtur, orationis et facilitate et perspicuitate inferiorem esse Euthyphrone contendit; quod plura iterum ac saepius dicta frigere existimat; denique quod hunc dialogum critico et interpreti maiores, quam ullum alium minorum, difficultates afferre putat, quamquam hoc tale est quod subditivum illum esse fidem facere non possit. Deinde in hoc libro non plura inesse quae Platonicorum similia sint (nam imitatione expressa esse tum denique dici licebit, cum non germana esse demonstratum erit), quam in aliis Platonis libris, Astius, homo in Platone versatissimus, si integre et tranquille iudicabit, vix dubitare poterit. Denique quod ei a Platonis more abhorrere videtur, rempublicam Lacedaemoniorum et Cretensium laudari, id prope ad nihilum recidet, cum reputaveris in iis Platonis libris, qui veri ab omnibus existimantur, Lacedaemonios praecipue multis rebus laudibus efferri: quod etiamsi rarius fieret, quam fit, tamen, quoniam, ut proposuimus, Socrates in hoc libro non alius inducitur, ac re vera est, nihil plane probaret. Ceterum Plato, si de civitatibus rebusque publicis, quae exstant, agitur, Lacedaemonios et Cretenses in suo genere laudare vel maxime potest, cum ad illius rei publicae, quam animo informavit, rationem ita de iis dicat: *illa quae a multitudine laudatur Cretensium et Lacedaemoniorum respublica.* Polit. VIII. p. 544. C.

Mater. XII.

De Attica, quae vocatur, Graecarum litterarum artiumque aetate.

Cap. I. Atheniensium civitas postquam compluribus seculis factionum insania ac furore distracta civilibusque iactata fluctibus alias atque alias leges condendo, rescindendo vias omnes constituendae rei publicae ingressa est, longo denique post tempore sedato tumultu rerumque perturbatione sublata ad sincerius rerum domesticarum studium et ad legitimae libertatis fructum vocari coepit. Amplexari tum cives, ut erant exiguae fortunae, et patriam, quae libertatis iis suavitatem impertiret, et rei publicae statum, quem incredibili paene labore multorumque seculorum bellis crudelissimis consecuti essent. Atque ex his tanquam radicibus et rei publicae illius amplitudo et ipsorum civium virtutes effloruerunt. Nam etsi quod suarum legum rationibus effici voluerat Solon, id peremptum esse videbatur tum, cum tyrannus rerum potitus rempublicam arbitratu suo regere coepit, tamen haud scio an huius ipsius dominatione civitas ad summum rerum suarum florem citius sit certiusque adducta, quam si penes multitudinis vel timiditatem vel levitatem fuisset imperium. Quod quidem ita sibi adscivit Pisistratus, ut neque de legibus quidquam commutaret neque opibus suis intemperantius uteretur, sed ut reipublicae primum nascenti plus adderet et roboris et firmitatis. Is enim quam omnes deinde Atheniensium viri populares imprimisque summus ille Pericles inierunt rationem, eam ipse quoque ingressus gloriae populi serviendum existimavit, cumque urbem monumentis publicis exornavit, effecit, ut ille, quantum in se esset, sentire atque intelligere videretur. Ita quod arrogantius sibi sumpserat Pisistratus, usurpatione eius quodammodo defenditur tantumque

abest, ut damno id fuerit, ut etiam salutare factum sit populo praesertim levi ac mobili et sicubi e rectorum suorum potentia evolaverat, factionum intemperantiae ac libidini dedito. Nam Hipparcho mortuo expulsoque Hippia cum respublica per Clisthenem populari ratione constituta esset, verendum erat, ne illa reiecta iam in turbarum seditionumque fluctus quominus umquam emergeret viriumque incrementa caperet impedita teneretur, nisi brevi post id evenisset, quod ut universam civitatem in summum periculum et extremum paene discrimen adducturum videbatur, ita repente maximum attulit ad civium et fortunas amplificandas et ingenia excolenda adiumentum.

Cap. II. Nam dum Iones Persarum iugum a cervicibus suis deicere conantur, Athenienses misso, quae est popularis imperii superbia, afflictis illorum rebus auxilio ira regis commota bello implicantur gravissimo. Effusis iam perculsam in Graeciam immensis copiis parva Atheniensium manus fortissimis animis obviam facta cum vitae desperatione tum patriae amore servitutisque odio capitali incensa libertatis hostem in fugam convertit et ubicumque sui copiam fecit clade et turpitudine afficit. Itaque confecto atrocissimo bello incredibile dictu est quantum Atheniensium animi excitati et ad virium suarum conscientiam erecti sint, ut tanquam iuvenis primo facinore perpetrato nihil iam magnum aut arduum ducerent, quod non Graeca prudentia ac virtute aut expugnari aut profligari posset. Pugna enim Marathonia et quae deinceps secutae sunt res cum ab omnibus Graecis, tum imprimis ab Atticis, quorum in finibus orisque maxima proelia facta sunt, praeclare gestae eos huic genti animos fecerunt, qui iam in omnibus eorum rebus gestis non magis quam in artificum, scriptorum poetarumque operibus exstant atque elucent. Neque vero reprehendendus est populus, quod cum innumerabilibus hostium copiis, quas tum internecione delevisset, tum fuga dissipasset, tum ignominia affecisset, sui paucitatem numeri comparans mire quam excellere sibi visus sit.

Cap. III. His ita recreatis igitur ac reviviscentibus rebus, cum praesertim orae Atticae opportunissimae navigationi ad imperium maris obtinendum ultro adhortari viderentur, hoc

consilium secutus Themistocles effecit ille quidem, ut penes Atheniensium civitatem ad tempus esset principatus Graeciae, sed tamen eodem auctore illa iacta sunt vitiorum semina, quae bello Peloponnesiaco ad maturitatem perducta ne Macedonum quidem regum ditione exstincta sunt. Etenim illius viri audacia ac virtute res subito Atheniensium ad eam claritatem amplitudinemque se extulerunt, ut civitas ex eo tempore perpetuo secundis proeliis usa angustos patriae fines ad tantam imperii magnitudinem proferret, quae et Asiaticae orae maximam partem et Thraciae litus et Pontum Euxinum usque ad Chersonesum Tauricam et Hellespontum ac Thraciam pertinentem et plurimas Aegaei maris insulas complecteretur. Quo factum est, ut cum et sociorum devictarumque gentium tributa ad urbem confluerent et ex terra ipsa nova promerentur opulentiae subsidia, res illorum subito prosperrime augerentur. Atqui satis constat apud omnes, eam civitatem, in qua simplices etiamtum mores sensusque quodammodo agrestiores fuerint, si celeriter continenterque copiis opibusque affluere coeperit, simul ad earum rerum, quae voluptatem delicatiorem afferunt, studia excitari vitamque ea aetate vulgo ad elegantiorem cultum conformari ac perpoliri. Quod quoniam felicitas illa non tam ad singulos, quam ad universam civitatem pertinebat, quidquid ex ea manavit, id omne ad rempublicam et ad populi fructum redundabat. Igitur cum privatae domus Athenis ad adspectum tenues admodum essent, deorum templis, locis publicis, theatris ac gymnasiis exornandis assidue opera dabatur, neque quisquam erat civium, qui non horum operum adspectu florens sibi atque admirabilis videretur. Ita ea aetate luxuriae comitatus est patriae amor.

Cap. IV. Respublica deinde a Themistocle, Aristide, Cimone administrata ab iisque quodammodo provisum est, ut Periclis, qui horum aetati successit, temporibus civitas ad summum rerum suarum fastigium attolleretur urbsque ipsa, ut ait doctissimus quidam scriptor, continuum pomparum ludorumque spectaculum daret: adeo sese populus publico sumptu, respublica populum provincialium sociorumque impensis oblectabat. Sed hanc insolentiam voluptatum libidinumque brevi con-

secuta poena est. Exorto per omnes Graeciae partes bello atrocissimo cum vicinae gentes gravissimis iris infestissimisque animis inter se impugnarent, Athenae postremo aemulorum armis oppressae expugnataeque sunt. Quamquam illa ipsa afflicta tempora excellentium poetarum, oratorum, scriptorum artificumque ingeniis et gloria floruerunt ac multa praeclarissima Atticae urbanitatis et leporis opera ipso belli Peloponnesiaci tumultu ac furore confecta sunt: ita commotus semel temporum opportunitate animus ne adversarum quidem rerum mole opprimi potest atque laetius sese erigit. Illa igitur aetate cum ad excitanda alendaque ingenia plurimae res simul valerent: nam adiumento erant et propria gentis indoles, cum ad libertatis studium et ad magnitudinem animi probitatemque facta, tum sui admiratione non temere imbuta, et copiarum rerumque omnium abundantia celeriter illa quidem, nec tamen sine labore comparata, denique eorum exempla, quorum aut bellicam virtutem aut dicendi vim admirabantur: — illa igitur aetate poeticae studium cum philosophiae artiumque studiis arctissimo vinculo coniunctum et consociatum erat. Nam cum ingenia alia ab aliis accenderentur et, ut publico vitae usu, facile excolerentur, cum et philosophus oratorem instrueret et utriusque prudentia doctior fieret poeta et poetam imitaretur artifex, haud scio, an nunquam ea, quae ingenio proferuntur, cum iis, quae mente ac ratione excogitantur, praeclarius coniuncta fuerint quam illa aetate, quae omnibus rebus ita comparata erat, ut ab ineptis minutisque non minus quam ab vastis et inconditis abhorreret, ab illis scilicet, quod penes populum et multitudinem erat iudicium, ab his, quod parvus et angustis finibus circumscriptus populus quae opera in celeberrima terra Aegypto dominatio exstruxit, ea ille ne animo quidem concipere potuit.

Cap. V. Iam si recte a nobis explicatum est, quae res eiusmodi fuerint, ut ad excolenda Atticorum ingenia non minimum conferrent; non difficile erit ad intelligendum, quid causae sit, quod illa aetate unum aliquod carminum genus vel imprimis viguerit. Nam scenicae poesis perfectione illa tempora praeter omnes poeticorum studiorum aetates excellunt idque

ita proprium Atheniensium ac domesticum genus est, ut nullo alio veterum vel loco vel coelo tanquam stirps quaedam adolescere ac florem mittere potuerit. Scenicae enim arti perficiendae cum se dabant Athenienses, operam collocabant in eo genere, quod in ipsorum terra natum et cum religionibus domesticis arctissime coniunctum esset, et a rebus, in quarum imitatione versabatur, publicis voluptatem omnibus afferret et civitatis opes civium oculis palam spectandas proponeret: quod quidem cum satis sit causae, ut hoc genus praeter alia floreret Atticorum hominum et admiratione et studiis, tum etiam illud addendum videtur, quod repraesentando quae ab heroibus Atticis forti et magno animo gesta erant, populari gloriae ambitiosius saepe servitum est. At hercle opus erat illarum rerum, quas diximus, opportunitate, ut prima huius artis semina, quae ut pridem nata in Attica, ita diu inculta tarde provenissent, paulatim pubescerent. Nam etiam in barbaris saepe agrestibusque gentibus hoc evenisse videmus, ut initia quaedam poesis scenicae pellerentur, quibus tamen, quominus progressionibus suis usa augerentur, fortuna defuit: Graeci quidem eo fato nati erant, ut, quae a multitudine populi comissabunda inchoata essent, ea ad summam dignitatem artis perficerent. Ex ludorum enim, qui vini auctori deo agebantur, ortae sunt et tragoedia et comoedia, et ex rei alicuius gestae imitatione, quae chori cantibus interposita gestibus vultuque exprimebatur, variis rebus tentatis actio et diverbium nata sunt. Neque dissimile veri est, isto modo res, quas plurimas gesserat Bacchus, primum tractatas atque a Silenum Satyrorumque, qui cum eo erant, moribus comoediae aut fabulae satyricae consilium primum petitum esse.

Cap. VI. Ac tragoedia quidem nunquam a natalis sui religione ac cerimonia recessit. Quid? quod etiam in iis, quae novissima tempora ex hoc genere tulerunt, chori cantus illius carminis concitatioris, quod olim seiunctum ab actione, tum vero connexum erat, memoriam revocant. Seiunctus enim a ceteris fabulae partibus separatusque esse chorus non ante desiit, quam agrestiora hominum iudicia ad quendam concinnitatis sensum exculta essent; totus vero quominus eice-

retur, originis eius sanctitate atque, ut videtur, commoditatibus, quas ipse multas habebat, semper impeditum est. Adde, quod et quam simplex olim actio fuerit, cum res ab uno actore ageretur, vel ex perfectissimis tragoediae operibus cum ex prologi, qui vocatur, ratione tum ex eorum, qui in scenam prodeunt, professione intelligi quodammodo potest; et quod saltatio ac nervorum tibiarumque cantus tam diu cum actione ipsa coniuncta fuerunt, dum ulla tragoedia sermone Graeco acta est. — De inventione autem tragoediae multum saepe et veteribus et recentioribus temporibus disputatum est. Quod si ea, quae ipsa natura ultro gignit, ab illis, quae arte efficiuntur, discernimus, iure videmur inveniendi laudem tribuere Thespidi. Is enim, cum omnis ante res furori cuidam et insaniae permissa videretur, primus actori certum quoddam argumentum subiecit. Sed quid tandem sit, quod effecerit, aut qualis ipsa fuerit fabularum eius conformatio, non constat; id quidem coniectura assequi licet, argumentum earum in rebus gravibus seriisque versatum esse. Quamquam vix credendum videtur, qui erat illius aetatis stupor, seria a iocis subtilius distincta esse. Qui huius aetati proxime successit, Phrynichus, iis, quae ille invenerat, se continuisse neque quidquam addidisse novi videtur. Nam Aeschylus demum is fuit, qui aliquanto longius progressus viam ad ipsam perfectionem tragoediae aperiret. Hic igitur, ingeniosissimus vir, cuius nulla tragoedia est, in qua non patriae suae civiumque suorum spiritus ac libertas expressa sint, mimorum illam imitationem ad agendi veritatem transtulit, cum et alterum actorem adiiceret et diverbium inveniret et publica liberalitate adiutus spectaculo ipsi plus adderet dignitatis. Quamquam abest etiam huius tragoedia propius quam ulla eorum, qui insecuti sunt, a dithyramborum unde nata est similitudine: nam chori cantus et ambitu longiores, quam par est, et verbis, in quae interdum ille etiam in diverbiis incidit, altissime exaggerati inflatique sunt. In illo genere Pindaro, aequali suo, simillimus est; in hoc, cum primum fingenda oratio esset, ingenii vi et impetu impulsus saepe est, ut ab eo quod decet aberraret. Denique non tam elegantiae, quam granditatis studiosus erat: delectatur

enim vel in effingendis audacibus ingentisque ingenii viris, qui toti ex se apti insitaeque virtutis conscientia elati fortunae tela deorumque numen contemnere sibi videntur, vel in iis hominibus proponendis, qui cupiditatum immensarum vi compulsi officiis sanctissimis perversis deorum poenas scientes prudentesque suscipere audent.

Cap. VII. Iam vero, cum princeps vel potius solus esset in tragoedia Aeschylus, exstitit Sophocles, qui adolescens cum eo de palma contendere ausus est. Etenim paucorum annorum fortuna, cum Athenienses in bellicis civilibusque rebus assidue versati essent, ita eorum animi omni politiore elegantia imbuti erant, ut huic et omnia illius vitia evitare et inventum modo genus, quoad eius fieri posset in Graecia, perficere contigerit. Ita factum est, ut eodem tempore et Phidias ille simulacra ex marmore fingeret eximia pulchritudinis specie, et Sophocles tragoedias doceret, in quibus summa inesset cum dignitate coniuncta venustas et corruptum illud Aeschyleum genus in integram valetudinem sanitatemque conversum. Hic et chori cantus arctioribus finibus circumscripsit et actioni ipsi plus ad excurrendum spatii dedit. Rerum iam maior varietas neque confusio; personae ipsae veritati ac naturae propiores; animi affectus vehementes illi quidem, nec tamen immodici saepiusque contra rationem, quam contra alios affectus pugnantes; oratio denique ab insolentia revocata et ad dignitatem moderationemque traducta. Quibus de virtutibus cum recte aestimarent Athenienses, factum est, ut illi vicesimo sexto aetatis anno cum Aeschylo certanti non modo palmam tribuerent, sed etiam principatum tragoedorum deferendum putarent. Ex tragoediis quidem eius quamvis multis numero paucae exstant, quarum unaquaeque per se ipsa satis idonea erat ad memoriam eius cum omni posteritate adaequandam.

Cap. VIII. Quemadmodum autem saepius fieri solet, ut paucorum annorum spatio genus aliquod artis complurium hominum excellentium ingenio contentione perficiatur: ita tunc huius summi poetae aetati suppar fuit Euripides, subtilior ille ac remissior et spreta omni imitatione in eodem non solum genere, sed saepe etiam argumento florens. Is aequalium iudicio

eodem, quo Sophocles, ac saepe potiore loco habitus ut neque Aeschyli magniloquentiam neque Sophoclis dignitatem assecutus est, ita in flectendis permovendisque animis utroque plus valuit. Ita enim animorum motus penitus pernoverat, quales essent quantumque valerent, ut et eas inveniret rerum conditiones, quibus illi planissime expromi possent, et mollem quendam sonum afferret ab eo, quod consectabatur, nunquam aut raro aberrantem. Nam cum plerique eorum, quorum personas tractat, insignis antea fortunae iucunditatibus usi praesenti earum recordatione fracti et ad moestitiam abiecti sint, accidit in huius fabulis, ut et affectus animorum mollitia quadam ac fletu languefacti potius, quam ad vim et acrimoniam vehementius excitati videantur, et quoniam personae eius hactenus sunt constantes animo, ut de rebus suis secum cogitare possint, ipse sententiarum crebritate ac frequentia floreat. Non mirum autem probatum esse Atheniensium populo istud Euripidium genus tum, cum et illorum temporum, quibus Aeschylus carmina condiderat, audacia interisset et antiqua civium virtus paulatim laberetur. Qui cum litigandi cuidam disceptandique studio nimis dediti essent, huic voluntati serviebant Euripidis fabulae, quarum nulla fere est, in qua non lis aut contentio aliqua artificio quodam oratorio disceptata sit. Idemque, cum delectarentur Athenienses magnitudinis suae rerumque ab ipsis gestarum praedicatione, compluribus tragoediis veterum rerum memoriam renovavit, ex quibus urbis gloria civiumque magnanimitas eluceret. His rebus omnibus quomodo factum sit, ut saepe fines et modum transiret, a multis saepe animadversum est. Saepenumero enim vel ipse scenicorum partes sustinet omissisque personis poetam ipsum personatum ac philosophantem audimus, cum multus est vel in Anaxagorae de rebus physicis vel in Socratis de moribus sententiis, vel dicendi lumina ita avide consectatur, ut oratio prope ad inanem verborum sonitum accedat. Ceterum ut in descriptione actionis et in melicis carminum locis neminem eorum, qui antecesserunt, exaequat, ita doloris concitatione orationisque suavitate tantopere excellit, ut his virtutibus vitia eius vel maxime insignia compensari videantur. Atque de his tribus tantum poetis tem-

pore et casu paucae tragoediae servatae sunt, cum innumerabiles fere, qui eadem aetate in hoc genere floruerunt, paene cum nomine ipso deleti sint. Quorum alii aliis magis ad illorum in tragoedia principum laudem enisi sunt; nonnulli nil nisi puri et emendati erant, quod plurimi faciendum est, si ingenium accedit, sin minus, vix aliquo loco numerandum; alii ad tempus floruerunt dicendi aut suavitate aut gravitate, ut dubites num horum poetarum damnum iniquius ferendum sit ac non Aeschyli, Sophoclis, Euripidis summa et perfecta opera cum habeamus, facile possimus carere Ione, Philocle, Agathone, aliis.

Cap. IX. Atque hac ipsa aetate maxima popularium insolentia petulantiaque publicum sibi in Athenarum urbe theatrum exstruxit. Nam eodem, quo tragoedia, tempore comoedia in civitatem introducta et a pagis, ubi populi hilaritate ludorum lascivia accensa exstiterat, rudis ut erat et inculta in urbem translata est. Ne hoc quidem genus satis compertum est quando a primis rudimentis ad artis rationem revocatum sit aut a quo tandem eam habuerit formam, quam veteris comoediae aetate atque in Aristophanis fabulis esse invenimus. Alii a Susarione Attico, alii ab Syracusano Epicharmo memorant, ac nescio an verum esse utrumque possit. Iam si veterem Atticorum comoediam recte iudicare volumus, quidquid opinionis ex huius memoriae institutis animo imbibimus, parumper dimittamus necesse est. Illud enim spectaculum vel maxime accommodatum erat ei populo, cuius et insolentia, quam habet fere libera respublica, et dicacitas magis, quam ullius veteris populi, propria ac domestica esset, atque iis fere edi solebat temporibus, quibus quaedam veteris religionis consuetudo maioris etiam, quam mos ferebat, licentiae lasciviaeque potestatem facere videretur. Non mirum igitur comicos poetas et in argumentis fabularum personisque eligendis ac tractandis et in verbis pingendis ad multitudinis voluntatem se accommodasse et quidquid ad huius delectationem pertineret, sibi licere arbitratos esse. Quod etsi rei alicuius amatoriae descriptio vel hominum imitatio perfectiorum bonis civibus plus videtur allatura fuisse iucunditatis, tamen

dubium non est, quin illud genus, quod vel reipublicae statum per ridiculum detorqueret, vel summos in civitate viros salibus perstringeret, multitudinis iudicio ac voluntati multo fuerit accommodatius. Quo factum est, ut vetus comoedia tam effusa esset in ludificando calumniandoque, quam maxime poterat esse in ea civitate, in qua nemo esset civium, quin vel reipublicae vehementius studeret vel, ut in libera civitate, libere de rebus hominibusque iudicare posse sibi videretur. Hinc nullus civis neque tam nobilis neque tam obscurus erat, qui non dicacitatis aculeis pungeretur aut cuius facta moresque, vitia flagitiaque universo populo non ad deridendum despiciendumque proponerentur. Quam copiam si quis bene moratus poeta nactus erat, facile ad civitatis salutem conferre poterat, sin malus ac sceleratus, nihil hac peste perniciosius erat. Denique is erat veteris comoediae habitus, is color, qui a vera honestate iudiciique sanitate abhorrere videatur; sed nimirum danda haec venia est multitudini, ut laetitia effuse exsultet atque gestiat, cum vel summos potentissimosque viros cum invidia irrideri vel pulcherrime dicta per ludibrium detorqueri, denique quidquid decorum, liberale, modestum est, negligi ac perverti videat.

Cap. X. Quamvis igitur ii, qui inter cives dignitate et opibus florebant, cum scenicorum poetarum malignitate saepissime neque interdum frustra lacesserentur, reprimere illorum audaciam saepius conati essent, populus tamen, quam diu ipsius auctoritas in republica valebat, ius suum obtinuit perfectumque est optimatium demum dominatione, ut aculei comoediae, quibus multi ex ipsorum numero vulnerati essent, obtunderentur atque hebetarentur. Deinde ea hominum vitaeque veritatem imitari et reipublicae administrationem ipsosque, qui ei praeerant, cavillari desiit: a propriis personis ac temporibus ad universi generis rationem traducta paulatim talis evasit, qualis in arte tractari disciplinaque informari coepta est. Erant autem veteris illius comoediae nobilissimi poetae, qui quidem ineunte hac aetate exstiterunt et multis aliis, qui eundem gloriae cursum persequebantur, praelati sunt, Cratinus, Crates, Eupolis, a quibus quid allatum sit ad populum oblectandum,

non ultra constat quam ex veterum testimoniis. Horum aequalis vel aetate suppar fuit Aristophanes, quem veteres delicias Gratiarum appellant in eiusque animo deas illas, cum templum quaererent, postremo sedem collocasse poetae fingunt. In quo quas antiqui admirati sunt veneres, earum nos quidem fere amisimus sensum, ut quantum valuerit ille ingenii vi ac lepore, mente magis quam animo complectamur. Pleraeque eius fabulae flagrante bello Peloponnesiaco scriptae sunt longeque plurimae res illo tempore gestas leviter immutatas et in aliam partem detortas ante oculos ponunt. Atque haud scio an nullo unquam tempore populus ipse rempublicam vehementius amplexus sit, quam illa aetate, qua civitas tanquam navis infesto mari iactata ac saepe omnibus armis exuta est, cum vel suum quemque periculum admoneret, ut intento animo, quid belli duces turbulentique cives molirentur, specularetur, vel, ut cuiusque animus reipublicae hostibus infensus erat, ita in unam omnium oculi rem coniecti essent. Hinc Aristophanis ingenium in rebus inveniendis describendisque supra quam credibile est effusum et insolens, hinc innumerabiles eius rationes summos perditissimosque homines deridendi atque illudendi: quae quales essent, non curabat, quoniam ii, qui audiebant, neque animi mollitia fracti et ea erant ingenii celeritate praediti, ut quidque vel obscoenissime dictum non magis quam facetius significatum mente assequerentur.

Cap. XI. Temporum, quae hoc spectaculi genus tulerunt — ut enim cetera carminum genera, quae a Graecis inventa sunt, sic comoedia ex temporibus nata et cum iis mortua est — temporum igitur illorum talis erat conditio, quae non diu vigeret mutataque efficeret, ut a multis criticis, qui postea exstiterunt in Graecia, illius, qui Gratiarum deliciae appellatus esset, despicerentur ac spernerentur sales. Ipse etiam Aristophanes repressam vidit veterum licentiam necessitatique in nonnullis suis fabulis paruit. Etenim moribus mutatis cum vel rerum civilium studia languescerent parsque civium aliorum populorum auctoritate impedita non iam eodem, quo antea, animo rempublicam capesseret vel omnium iudicia ad elegantiam subtilitatemque propius accederent, comoediae ratio paulatim ita


immutata est, ut exeunte hac aetate nihil paene nisi nomen retinuisse videretur. Ut enim hominis mens, cum non iam externarum rerum adspectu tenetur, ad ipsius animi contemplationem converti solet, ita comoedia seiuncta tum a publicis rebus cum mores, studia, cupiditates hominum tractaret, magis ad philosophorum rationes et ad politiorem humanitatem revocari coepit. Quae quoniam ut cives in re familiari tuenda, ita ipsa in imitandis domesticis actibus ac patrum liberorum, uxorum servorum rationibus se continebat, multum hinc ad perfectionem artis allatum est. Nam ut olim satis fuerat vel ad actionis iucunditatem, res publicas tecte significari, vel ad personarum descriptionem, vivos ac natos homines sic, ut erant, proponi; ita tum et res inveniendae erant, quae per se ipsae atque omnes aequaliter delectarent, et ii homines imitandi, quorum mores et cum carminis rationibus apte congruerent et expressi ad veritatem essent. — Florebant autem hac recentioris comoediae aetate, quae in ipsum Macedonum imperium inciderat, cum multi poetae, qui a veteribus nominantur, tum nemo fuit, qui gloriam aequaret Menandri. Is fuit extremus in hoc memorabili numero poetarum, quorum aetas ipsius exitu tanquam aestivus dies vespertini coeli splendore atque amoenitate terminata est. In quo cum et multiplicem personarum animorumque descriptionem et summam iudicii elegantiam et admirabilem orationis suavitatem infuisse una omnes voce profiteantur, iure querimur temporis invidiam, quod nulla ex eius fabulis ad nostram memoriam pervenerit. Proximi ab eius laude erant Philemon et Diphilus, quorum luminibus, ut ait subtilis quidam criticus, ille suarum virtutum splendore obstruxit. Ad horum exempla seculo post Latini poetae comici se conformabant, ex quibus casu quodam nobis relictus est Terentius, qui quodammodo eximium illud ac singulare magistri sui exemplar perditum consolaretur.

Cap. XII. Praeterea si quid erat in aliquo ingenii, quod temporum opportunitate excitaretur, id omne hac aetate laetissime effloruit. Atque historiam scribere etsi iam antea fuerant qui conarentur, tamen intra singularum urbium res se continentes priscorum magis temporum fabulas colligere, quam

aequalium res gestas memoriae prodere studuerant. Atqui commoveri historia, ut se erigat, non potest nisi magnis rebus gestis, quae et ad quam plurimos pertineant et momenti maximi sint. Itaque vix liberata a Persarum periculo ac servitute Graecia vir exstitit summo ingenio et magna scientiae copia, qui et illorum bellorum casus atque eventa exponeret et simul totius, qui quidem cognitus esset, orbis historias complecteretur. Atque ut Herodotus rerum varietate dicendique suavitate non imitabili, ita brevi post Thucydides prudentiae vi orationisque gravitate insignis est. Interiectus inter utrumque ac medius erat Xenophon, scriptor sapiens ac iucundus. Philosophia autem, cum antiquissimis iam temporibus sapientium, qui vocabantur, commentis inchoata esset, ab huius denique aetatis philosophis exaedificata est. Sed in hac quoque divina arte perficienda qualis fuerit Graeci populi indoles, perspici atque cognosci potest. Ut enim vetustissimis temporibus philosophia poetarum morem secuta erat, ita huius aetatis initio se adiunxit dicendi arti: adeo nunquam dicendi ornamentis carere potuit, ut quae his supersedere sibi viderentur familiae, eae aliis minorem haberent commendationem. Mox cum in Athenarum civitate sedem ac domicilium collocasset, omissis iis rebus, quae paucorum possent communia esse, ad multitudinis intelligentiam ac voluntatem se accommodare coepit. Quamquam id brevi ita esse desiit: nam quae vel a Platone divinitus ficta vel ab Aristotele subtiliter disputata erant, ea ad paucos et otiosos cives pertinebant, quibus reipublicae procellas ac tempestates tanquam ex litoris securitate prospicere liceret.

Cap. XIII. Eloquentia vero quanta hac aetate quamque admirabili celeritate perfecta sit quantoque ad hanc excolendam, quam ad ullum genus, tempora plus momenti attulerint, satis apud omnes constat. Iam vero ut necessitate reipublicae singulorumque civium dicendi vis, ita luxuria eorum et opibus fingendi ars nata educataque est. Namque haec tametsi cursum pridem ingressa erat cum necessitate impulsa religionis, quae et simulacra desideraret et, ut erat ex ubertate ingenii hilaritateque profecta, fingendi copiam multiplicem afferret, tum ipsa familiarum, urbium, gentium in conservanda magnorum

virorum memoria sedibusque suis exornandis aemulatione aucta et amplificata, tamen nusquam communis fortunae prosperitate dignitateque adiuta tantos fecit progressus, quantos Athenis: quod quoniam ea aetate evenit, qua omnium virium summa esset contentio, haec ipsa aetas mirum quantum progressa perfectas illas formas ac simulacra effinxit, quae omnium omnino gentium omniumque seculorum admirationem efficerent: ut hodie quoque et ipsorum operum, cum quibus nihil aequari conferrique possit, possessione gloriemur, et Phidias, Praxiteles, Scopas, Polycletus non artificum nomina potius, quam ipsam artem significent.



Druck von C. E. Elbert in Leipzig.